

## De epigrammate Catalepton Verg. II.

GEORGIVS KAIBEL FRANCISCO BVECHELER S. . . . . eminent inter illas nugas si non suavitate, at doctrina carmen quod in Annium Cimbrum factum est; sed Tau Gallicum cum tu quid valeret satis te perspexisse negaveris, in hac littera invidiosa explicanda haec versabitur chartula. qui μὴν et σφῖν, qui μῶν et λῶστε dicere amat, is Atticus ut videatur perfectus, etiam πράττειν et μέλιτταν et Θεταλίαν dicit contra vulgarem tum Graecorum consuetudinem. quod quid et illi saeculo et posterioribus hominibus esse visum sit, leges in Iudicio vocalium Luciano. tau autem cur Gallicum dicitur? respondet Lucianus, T litteram ipsa forma invisam esse: τῷ γὰρ τούτου σχήματί φασι τοὺς τυράννους — ἀνθρώπους ἀνασκοποῖζειν. vides quam apte poeta tyrannum praedicaverit Cimbrum. quod superest, haereo animi. τῷ σταυρωτικόν si quis Latine velit vertere, dicendum ei erit tau gallicum, nec tamen audeo hanc commendare coniecturam. sed Gabali ipsi Galli sunt, ita Gallicum videtur dixisse pro eo quod significare voluit gallicum. certe Euphorione et Lycophrone dignae erant hae vocabulorum tenebrae vel vertigines potius; tu vide num Latino poetae iure tribui possint. . . .<sup>2</sup>

---

<sup>1</sup> Ἀντίβιος bedeutet vielleicht ursprünglich einen an Stelle eines verstorbenen Sohnes Geborenen oder Lebenden.

<sup>2</sup> [euge. 'tau signum crucis' Pseudotertullianus adv. Marc. III 97 et multi ecclesiastici. de Gallis fama erat relata a Diodoro V 32 τοὺς κακούργους — ἀνασκοποῖζουσι τοῖς θεοῖς. F. B.]

---